

ipsa coelos ascendit, ad dextramq; patris confederit, iudex uenturus sit, ac qualiter remissionem peccatorum sacro baptisate renatis contulerit & resurrectionem humani generis in eadem carne in uitam æternam futuram, docuerunt.

XIII. Is etiam primum articulum fidei sic exponit, Credo in Deum patrem omnipotentem &c. Patrem cum audis agnosce, quod habeat filium. Deus ergo pater secreti sacramenti uocabulum est, cuius uere filius est uerbum, & speculum, & character, & imago uiuens patris uiuentis, in omnibus patri similis, eiusdem naturæ, in diuinitate genitus, & genitori per omnia coæqualis. Nec quærat, quomodo genuerit filium, quod & angeli nesciunt, & Prophetis incognitum est. Vnde illud dictum est, generationem eius quis enarrabit? Quam secretam originem cum proprio filio, nouit ipse solus, qui genuit. Nec Deus à nobis discutiendus est, sed credendus, qui in nobis ipsis nescimus, quod sapiamus, quomodo sapientia, ingenium, aut intellectus aut consilium, aut mens nostra generat uerbum. Sed sufficit nosse, quia lux genuit splendorem, sicut ait  
Pro.